



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Vitae Sanctorvm

Lippeloo, Zacharias

Coloniae Agrippinæ, 1604

Vita Sanctissimæ Virginis, pariter & Viduæ, Catharinæ, filiæ S. Brigittæ.
Migrauit è corpore Anno Domini 1381. Ex ea quæ est apud Surium.

urn:nbn:de:hbz:466:1-42667

Doctrina eius eximia.

monachorum regulam, discretionem præcipuam, sermone luculentam. Cuius si quis velit subtilius mores vitamque cognoscere, potest in eadem institutione regulæ, omnes magisterij illius actus inuenire; quia sanctus vir, nullo modo potuit aliter docere, quam vixit.

Prædicit obitum suum.

Eodem quo de hac vita exiturus erat anno, discipulis quibusdam suis, obitus sui diem denunciavit. Antè sextum verò sui exitus diem, sepulturam sibi aperiri iussit. Qui correptus mox febribus, ingrauescente languore, sexta die Dominici corporis & sanguinis perceptione exitum suum

Moritur feliciter.

muniuit, atque inter discipulorum manus, imbecillia membra sustentans, vltimum spiritum inter verba orationis stans efflauit. Sepultus est in oratorio beati Ioannis Baptistæ, quod destructa

Miracula ad specum eius.

ara Apollinis, ipse construxit. Qui in eo specu quo prius habitauit, nunc vsque miraculis coruscet. Mulier quædam mente capta, miserabili eulatu per montes & valles & sylvas & campos, die noctuque vagabatur. Cumque beati viri specum nesciens ingressa fuisset, & somnum nimia lassitudine oppressa carpsisset, manè sanato sensu egressa est, omnique vitæ suæ tempore, in ea quam accepit salute, permansit.

A mens mulier, in specu S. Benedicti, redit ad sanitatem.

Vide Caf. Bar. in not. Mart. Rom.

VITA SANCTISSIMÆ VIRGINIS, pariter & Vidua, Catharina, filia S. Brigittæ. Migravit è corpore Anno Domini 1381. Ex ea quæ est apud Surium.

22. Martij.

Parentes eius. Traditur quidam Ab-

CATHARINA hæc, patre Vlphone viro nobili, & matre Brigitta, (cuius celeberrimum in ecclesia nomen est) in lucem edita est, quam mater ab lactam Abbatisæ Risbergenfis, spectata vitæ integritate foemine, instituentem

dam tradidit. Varias in prima ætate demonum in-
festationes perpessa est; quas Dei gratia supera-
uit, & egregium vbiuis futuræ sanctitatis speci-
men dedit. Ad nobiles vt primùm annos perue-
nit, viro nobili Eghardo tradita est; quem, seruã-
dæ virginitatis cupidissima, facile diuina aspi-
rante gratia, ad nuncupandum Deo castitatis vo-
tum adduxit. Et ne diaboli aliquando insidijs pe-
terentur, acerrimum carni bellum indixerunt,
ieiunijs, precibusque omnem petulantiam fran-
gentes separatim cubabant, nudæque humo de-
fessa vigilijs membra reponebant, ne hyeme qui-
dem hunc morem immutantes, Solebat sanctissi-
ma virgo castissimo coniugi, pia matris suæ exer-
citia vitæque asperitatem referre, ijsque eum ad
omnem virtutis amorem, & constantiam mirifi-
cè confortabat. Cumque hac castitatis fragran-
tia, liliorù instar corâ Deo redolerent, enixè ope-
râ dabat, vt virtutù maximarù exēplis, & optimæ
existimationis fama, proximos à prophana vita
ad honestatis & virtutù omniù studiù excitarent.

Patre eius Vlphone, Nericæ principe, defun-
cto: miro visendi Rómam desiderio accensa est.
Mater eius Brigitta, Roma Bononiam discesse-
rat, vbi cum insigni sanctitatis laude vitam dege-
bat; cui se Catharina, indiuiduam vitæ comitem
adiunxit, & summa contentione vestigijs eius in-
stitit. Sed cum diabolus varias ei insidias tende-
ret, nullumque non moueret lapidem, vt eam ab
ea vitæ sanctitate, ad carnis libertatem reuocaret;
cepit importunis matrē obtestari precibus, vt po-
testatè sibi in patriâ redeundi faceret. Mater frau-
dibus callidi serpētis intellectis, virili animo oc-
currit, filiamque ab ea mente deducere cōtendit.
Filia, quamuis ratione & voluntate, natalis soli
deli-

batissz in-
stituenda.

Nubit viro.

vouent am-
bo continē-
tiam.

Obitus pa-
tris eius.

Catharina
fociat se
matri.

Tentatur à
Satana.

delicias (quas dæmon ei assiduo ob oculos ponebat) respueret: Satanæ tamen molestijs victa, à matre sibi remedium postulauit. Tum mater, quâdoquidem, inquit, caro & sanguis vim tibi inferunt, & rationis arcem superare contendunt, eius petulantiam virgis reprimendam censeo. Catharina quamuis durum carpi erat, libens tamen matris se voluntati subiecit, virgisque aliquoties cæsa, importunam illam dæmonis tentationem fugauit. Non tamen hoc modo vires eius fractæ fuere, quin acriorem ei vim inferret. Interdixerat S. Brigida Catharinæ filia suæ, nè sine multis socijs sacra loca inuiseret, ob periculum, quod tunc Romæ per effrenatam ac flagitiosam quorundam petulantiam foeminis ætate & forma præstantibus imminebat. Itaque matre cum suo confessario ad stationes & promerèdas sacras Indulgentias abeunte, illa dies non paucos se domi continuit, cum subito tali cogitatione agitari cœpit. Quid agis? cur tu instar bruti animantis ab omnibus spiritualibus bonis arceris, alijs animarum suarum luca captantibus? Cui cogitationi accedebat etiam hæc: Cognati fratres & sorores tuæ cum summa tranquillitate Deo in patria sua seruiunt, tu verò hîc miseram ducis vitam. Præstaret sanè ne in lucè quidem editam te fuisset, quàm id genus inertem vitam viuere. Hæ cogitationes, tanto animum eius mœrore oppleuerant, vt mortuæ magis quàm viuenti similis quò se verteret, ignoraret. At mater volens saluti eius certius consulere, hoc consilij captauit. Erat quidam D. Petrus, vir cum sanctitatis, tum multiplici eruditionis & prudentiæ laude insignis, hunc multis precibus ed tandem adegit vt pateretur Catharinam sibi obedientiam polliceri, filiaque

Rursus eam
tētat hostis.

Contra in-
stabilitatē,
matris con-

persuasit vt nihil omnino absque illius permis-
su facere vellet. Munita igitur sanctæ obedi-
entiæ virtute vixit sub matris cura haud secus atque
in monasterio, didicitque ab ea certis temporibus
tenere intra se silentium, crebro legens ali-
quid ex sacris euangelijs, siue de vitis Sanctorum.
Pauperum & peregrinorum curam insignem ge-
rebat, hospites ex varijs orbis terrarum partibus
Romam aduentantes, cum eleemolynis, tum sua
vi sermone & colloquio fouebat, cunctosque in
Christi amorem acriter inflammabat.

filio, pro-
mittit con-
fessario o-
bedientiã.

Eius huma-
nitas, erga
pauperes &
peregrinos.

Porro annos non plus nata viginti, tanta mo-
rum grauitate ætatem superabat, vt plurimos in
sui admirationem pertraheret. Accedebat exi-
mia corporis elegantia, quæ cunctis eam amabi-
lem reddebat, & non paucos magnates amore e-
ius vehementer inflammabat. At illa cum diu cõ-
stanter omnes repulisset, cunctasque rerum ma-
ximarum pollicitationes pro nihilo duxisset:
quidam amoris vehementia victi, minas intenta-
re, & vim ex insidijs inferre proposuerunt. In ijs
Comes quidam, magna hominum stipatus cater-
ua, tempus locumque captauit, quibus eam ad æ-
dem S. Laurentij ire solitam raperet, domumque
secum asportaret. Sed accidit, vt ille miseranda
diuinitus cæcitate percussus, facinus suum nefa-
rium agnosceret, humique coram ea prostratus,
obnixè sceleris sui veniam postularet. Tùm illa
cum matre pro eo deprecante, ilicò visum rece-
pit, atque summa eam deinceps reuerentia pro-
secutus est. Nec tamen destitit inimicus varijs ca-
stitatem eius insidijs oppugnare.

Multi eam
conantur a-
sciscere cõ-
iugem.

Comes eam
rapturus, sic
cæcus, & re-
cipit lumẽ.

Quodam tempore, cum matre Assisium reli-
gionis ergò profectura, cum honestum in ipso i-
tinere hospitium, nocte impendente habere non
pos-

possent, ad pauperis cuiusdam tuguriolū dixerunt, ut vel solo tecto aëris iniuriam à corporibus suis propulsarent. Ecce autem noctis intempete silentio latrones accurrunt, accensoque lumine abditos scrutantur, captique mox pulchritudine Catharinæ, impuris sermonibus animum eius ad nefarios concubitus alliciunt. At illa incredibili angore correpta, cum nullum euadendi locum relictum cerneret, spem omnem (quod reliquum erat) in sola Christi misericordia repositam habebat. Precibus igitur lachrymisque diuinam implorare opem cœpit, cum subito armorum strepitus vocesque clamantium exaudiuntur: quibus vehementer exterriti latrones, celeri fuga salutem quærunt. Tùm Catharina Christi se beneficio, seruata à libidinis contagione cernens, debitis diuinam bonitatem laudibus extulit, seque cum matre & alijs comitibus læta in viam dedit. Cùm ibi rursus adsunt scelerati homines, ut quod nocte efficere nequuerant, clara luce designarent, suamque libidinem explerent. Et illi quidem viam ab vtraque parte obsederant, sed percussa cæcitate, videre non potuerunt cum bona in DEVM fiducia illuc securè transeuntes. Ita ergo diuina fretæ protectione, Assisium peruenerunt, atque inde Romam reuersæ sunt. Ibi verò, ut omitramus eam ab infantia preces horarias, Diuæ Virginis, septem psalmos quos Poenitentiales vocant, multaque alia quotidie legisset, prius quàm se ad dormiendum componeret, singulis diebus horas quatuor, cū multis lachrymis meditationi Dominicæ passionis impēdebat, flexisque in terrā genibus, assidua pectoris tusione se totam Christo in holocaustum offerebat.

Tempore quodā Romæ ante S. Iohannis Euan-
gelistæ

Patitur latrones in-
fectos.

Latrones,
æcitate per-
suntiantur.

Precibus di-
utissime in-
cumbit.

gelistæ aram, in æde maiori D. Petri, oranti apparuit peregrina quædam, alba induta veste, balteo præcincta, & atrò cooperta pallio. Quæ post amica salutationis verba, supplex, vt pro Noricæ Caroli fratris sui vxoris anima, preces funderet, rogauit; Sciscitante autem Catharina cuiâs esset, respondit se Suedâ esse, vxoremq; fratris eius Caroli obiisse; Roganti deindè Catharinæ, vt ad matris suæ ædes diuerteret, negauit sibi id licere; porrò Noricâ aureâ capitis sui coronâ eis legasse, quare fidelitèr pro animæ eius salute precarentur, sicq; disparuit. Catharina admirans, quò matrona illa abiisset, ex ancillis quæ sicut; respondet ille, se quidè vocè loquentis audisse, neminè tamen vidisse.

Quædam matrona appareret ei.

Cætèrùm præter eximias virtutum maximarû dotes, admiranda planè erga proximos calamitosos beneuolètia, insignis fuit. Nec mirùm sanè, cum ab ipsa penè infantia, hanc à matre disciplinâ imbibisset. Solita erat pia genitrix, tenellam ad nosocomia ducere, ipsaq; inspectante, miserorum plagas, vulnera, & vlcera, suis contrectare manibus, multaq; charitatis significatione, ad spem vitæ æternæ excitare. Hæc aliâque præclara pietatis officia, filia & oculis & mente hauriebat, nec minore deinceps quàm mater alacritate ea morbidis & egenis impendebat. Annos quinque & viginti cum matre sanctissima, spontaneo in exilio Romæ exegit, qua (post iter Hierosolymitanum sceliciter peractum) defuncta, cum reliquijs eius in patriam remeauit. Vbi ab omnibus, singulari beneuolentiæ & amoris significatione excepta, sacris se VVadsthenensis monasterij ædibus inclusit, & virginibus CHRISTO sacris, regulam Saluatoris, quam tot apud matrem annis didicerat, tradidit. Depositis in VVadsthen-

S. Catharinæ pietas, erga morbos afflictos.

Catharina post obitum matris, includit se

in mo-

monasterio
v vadstienēsi.

si monasterio sacris sanctæ genitricis reliquijs,
locus haud vulgaribus cœpit coruscare miracu-
lis. Quæ res omnium animos permoit, vt Catha-
rinam Romam ad Pontificem destinarent, quò
Pontifex Diuorum eam honore dignam faceret.

Proficisci-
tur Romam,
vt mater ei
miraculis
clara, in Di-
uorum con-
fortium, à
Pontifice
referatur.

Fecit illa vt iussa fuit & Romam veniens omniū
in Romana curia animos negotio huic addictos
comperit. Interea veniebant ad eam multi Ro-
mani nobiles, eius preces expetentes, memores
pristinæ eius conuersationis. Erat id temporis vi-
dua quædam extra urbem, apprimè nobilis. Lati-
ni Romani Baronis soror, quæ cum suæ nobilita-
tis & decoris omnis oblita, parùm pudicè vine-
ret, nec vllis monitis precibusve, à flagitiosa vita
ad honestatis studium reuocari posset, morboque
correpta, nec in vltimo quidem vitæ discrimine,
ad mentem redire vellet, Latinus Catharinam ac-
cedit, orat obsecratque, vt sororem tuam adire
vellet & inuitare ad veram peccatorum suorum
confessionem. Illa, vt erat huic studio mirificè de-
dita, alacri prouinciam animo suscipit, sed mise-
ram flagitijs planè obduratam, nullis hortationi-
bus ad plenam perfectamque scelerum confes-
sionem inducere potuit. Tùm Catharina cum cir-
cumstantibus ad preces confugiēs, in genua pro-
cubuit, & Deum, nè miseram in sempiternam pe-
stem ruere pateretur, rogauit. Et ecce, è Tiberi fu-
mus orbiculari figura aterrimus, ingenti mole,
instar plaustris fœno onusti, emergere visus est,
qui fursùm elatus in aëra, pendulus supra ædes, in
quibus illa decumbebat, ferebatur; tantaque te-
nebrarum caligine omnes inuoluit, vt alius ab a-
lio videri non posset. Postremò, impetu è celo
ruens, domum cubiculo proximam, in quo mise-
ra iacebat, solo tenus oppressit. Ad cuius terribi-
lem

Orat pro
foemina in-
durata, & il-
la respicit.

lem horrendumque fragorem, ægra ingenti timore correpta, ad mentem saniozem redijt, & pura oris confessione, commissa flagitia diluens, altero die sacramentis munita, spiritum efflauit.

Romæ matrona quædam nobilis, septena vice miseranda obortione conflictauerat, cumque se inuisam hac de causa marito suo cerneret, supplex S. Catharinam calamitatem suam expositura, adijt. At illa quædam sanctissimæ matris suæ reliquias ei tradidit, admonens vt eas vsque ad partum secum deferret, seque partûs tempore ei adfuturam promisit. Adfuit parturiendi tempus, accurrit Catharina, precibusque viuam ei à Deo puellam impetrauit, cui Brigittæ nomen imponi voluit. Eodem tempore Tiberis inundatione sua, Romæ vrbis excidium minitari videbatur, prorsus vt salutis spe plurimi ciuium abiecta, ad Catharinam tanquam vltimum refugium conuolarent, & inuitam domo exportatam sæuientibus vndis obijcerent. Illa cum aquas pedibus attigisset, sæuientes protinûs fluctus repressit.

Matronæ septies abortienti, viâ prolem impetrat.

Tiberis inundatione fuit.

Roma deindè Neapolim veniens, inuenit ibi matronam quandam viro orbatam, quæ nocturnis dæmonis cuiusdam infestationibus agitata, matri suæ assiduam lugendi materiam præbebat. Huius igitur Catharina pro solita pietate sua misera, hoc matri consilium dedit; primò quidem vt integra confessione quæcunque ad memoriam commissa crimina reuocare posset, expiaret; deindè nudis plantis, & absque lineis indusijs, continuis octo diebus, in templo S. Crucis memoriâ Christi pro nobis in crucem acti, septies pia mente Dominicam orationem legendo, recoleret. Paruit libens huic consilio, & statim ab omni dæmonis infestatione liberata est. Neapoli rursus Romam,

Dæmonem nocturnum, à muliere saluberri-
mis datis consilijs,
profligat.

Romam, vt matris in diuos relationem vrgeret, reuerfa est; sed tūm Gregorio II. moriente Vibanus 6. communibus ad eam dignitatem suffragijs vcheretur, & ecclesia orto schismate in varias valdè inter se pugnātes sententias distraheretur, Catharina ad suos redire constituit. Iamque feliciter itinere summo vbiuis honore excepta, in Prussiam peruenerat; cūm quidam ex eius familia somno correptus, ex curru decidit, costique rotarum stridore attritis, in vltimum vitæ discrimen adductus est; qui in currum sublatus, non sine ingenti omnium stupore solo Catharinæ contactu, integræ adeo sanitati restitutus est, vt citra

Sanat cōta-
ctu manus
suz. hominē
mirē con-
fractum.

vllam corporis molestiam, gaudens & exultans gradum faceret. Postquam autem in VVadstense monasterium peruenerit, multis exhausta laboribus, in morbum incidit; cuius vi indies magis magisque oppressa, cūm in vltimo illo spiritu clarissimam pietatis charitatisque significationē

Moritur S.
Catharina.

fororibus suis dedisset, inter Angelorum manus sanctam Deo animam tradidit. Viderunt tūm homines quidam religionis & pietatis opinionē præstantes, stellam eximio fulgore micantem, officiosum radijs suis obsequium corpori exhibentem Cūmque sacrum funus ab Erico Suediæ Regis filio alijsque regni principibus, cum multis bonorum omnium lachrymis portaretur, stella supra feretrum pendula, maiorem illi præ ceteris honorē deferebat. Inter alios verò regni pro-

Apparet
stella.

Eriens Re-
gis filius,
portat eius
sacrum cor-
pus.

ceres, & præclaros multorum locorū antistites, prælatos atque Abbates, qui sua præsentia funus cohonestare gaudebant, Tordo Strengensis episcopus, magna tūm eruditione tūm auctoritate vir, apprehensa Catharinæ dextera, precibus se eius humiliter commendauit. Et ecce sensit ille

Nota rem
miram.

manum

manum suam fortiter comprimi, vt fieri solet inter illos qui mutua sibi fide amorem stabiliunt. Obijt autem virgo hæc sanctissima, in præfato monasterio, anno Domini 1381. II. Cal. Aprilis, pridie Annunciationis Dominicæ.

DE SS. TIMOLAO, DIONYSIO, ALIIS-

que sex Martyribus. Ex historia Ecclesiast. Eusebii vide Cæf. Baro. Annæ tom. 2. lib. 8. cap. 13. Consummârunt martyrium Vltronei

Anno Christi 303. Marcell. Pap. 7. Diocl.

& Max. Imp. 20. sub Urbano præfide.

Dum Gentiles publica inter se festa celebrarēt, & cōsuetæ agerent spectacula, inter alia quæ magnoperè ipsis in optatis erant ad contemplandum, crebro hominum sermone ferebatur, Christianos, qui dudum erant ad bestias damnati, certamen confecturos. Cùm verò huius rei fama latius manaret, & apud omnes passim vagaretur, adolescentes numero sex, quorum vnus genere Ponticus, nomine Timolauus; alter ex Tripoli vrbe Phœnicix, qui Dionysius nuncupatus fuit tertius ecclesiæ Diospolis subdiaconus, qui Romulus dictus est, quartus Pausis, & quintus Alexander, vterque AEgyptius, sextus huius Gentilis Alexander, ex vrbe Gaza, proprias manus, quò ardentem martyrij cupiditatem significarent antè colligantes, ad Urbanum, qui iam bestias ad Christianos dilaniandos emissurus esset, curriculò currunt, seque Christianos liberè confitentur; atque ipsa sua propensione tanquam ad aciem instructa, & ad quodque discrimen admodum parata, liquidò declarârunt eos, qui in vero Dei omnium rerum fabricatoris cultu

24. Martij.

Sex egregij
adolescentes,
præfector
se se offerunt.

Urbanus
Præfector
prouinciæ.